

David Klockow

## **De Delirio Tremente : Dissertatio Inauguralis Medica**

Rostochii: Typis Adlerianis, MDCCCXXIX.


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1008963739>**

Druck Freier  Zugang  OCR-Volltext

RU med. 1829

Klockow, Jo. Christ. D.
















DE  
**DELIRIO TREMENTE.**

---

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICA**  
QUAM  
CONSENSU ET AUCTORITATE  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
UNIVERSITATE LITERARIA ROSTOCHIENSI  
UT  
**SUMMI IN MEDICINA ET CHIRURGIA**  
**HONORES**  
RITE SIBI CONFERANTUR  
PUBLICO ERUDITORUM EXAMINI  
SUBMITTIT  
AUCTOR  
**JOANN. CHRISTIAN. DAVID. KLOCKOW**  
SUERINENSIS.

---

**ROSTOCHII**  
TYPIS ADLERIANIS.

---

MDCCCXXIX.



DE  
DELRIO TREMENTE

DISSERTATIO

IN ANATOMIA MEDICA

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

UNIVERSITATIS IMPERIALIS MOSCENSIS

SCIENTIARUM MEDICINAE ET CHIRURGICAE

PUBLICAE BIBLIOTHECAE



JOHANNIS CHRISTIANI WITTE



**V I R O**

**PERILLUSTRI DOCTISSIMO  
EXPERIENTISSIMO**

**GUILIELMO HENNEMANN**

**MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI**

**DUCI MECKLENBURGICO-SUERINENSI A CONSILIIIS  
SUPREMIS MEDICINALIBUS**

**FAUTORI**

**AD CINERES USQUE CALENDO**



V I R

HASCE

RELIQUIAS DOCTISSIMO  
QUALESUNCUNQUE LITERARUM PRIMITIAS

EX INTIMO GRATOQUE ANIMO

D. D. D.

INSTITUTI

AD CURIAM REGIÆ CALLED

AUCTOR.



---

## PRAEFATIO.

Quaquam negari uequit, nullum fere pathologiae ac therapiae caput superesse, quod saepius fusiusque non sit descriptum, tamen unumquemque largiri oportet, hancce scribendi ubertatem haud parum utilitatis praestitisse et etiamnum praestare. Huiusmodi enim monographiae, quae plerumque dissertationum inauguralium nomen fronti praefixum gerunt, vel omnia, vel plurima saltem ad morbum singularem spectantia et huc illuc dispersa, colligunt, collecta comparant et interdum novi aliquid adjiciunt. Proinde dubitandum non est, tales dissertationes potissimum iis prodesse, qui omnia, aut certe gravissima, de morbo aliquo scripta, noscere cupiant, libris autem destituantur, in quibus singula singulatum pertractata leguntur. Dissertatio itaque comparari potest compendio, quod non totam disciplinam, sed disciplinae partem, i. e. morbum quendam complectitur. Quibus reputatis, animum appuli ad describendum morbum, cujus vera



indoles recentiori demum aevo innotuit, et quam pluries pertractata tamen repetita attentione haud indigna videtur. Delirium tremens, improprie et inconcinne sic dictum (haud enim dici potest: delirium, qui tremet), inter nostrates tam celebre nomen sibi peperit, ut medicus dici debeat imperitus, qui intimas ejus rationes plane ignoret. Liceat ergo de delirio tremente ea hic apponere, quae partim mea ipsius, partim aliorum experientia mihi innoturunt. Commentatiunculam hanc juvenilem maneam admodum et immaturam in posterum partim Autorum scriptis, quae mihi nunc haud ad manum fuere, partim iis quae propria experientia suppetitabit, locupletiolem reddere pro virili tentabo. Inter illos autores attentione mea adhuc maxime digni erunt celeberrimi *Stempel, Barkhausen, Leveillé, Wasserfuhr, Töpken, Nasse, Elwert, Macnish, Goeden, Jones, Bernt, Brown, Blake, Harless, Rust, Hufeland, Behr, Knebel, Andreae, Kriebel, Rayer, Armstrong, Kopp, Horn, Titzschau, Gustorf, Groetzner* etc.



---

## CAPUT PRIMUM.

### *Delirii trementis notio brevisque historia.*

**D**elirii trementis nomine significatur morbus, maniae haud absimilis, spirituosorum abusu excitatus singulariumque symptomatum caterva conspicuus, quorum potissima in ideis deliris continuoque ut plurimum manuum, rarius linguae solius, tremore cernuntur, quippe quae duo nomen conciliarunt huic morbo. — De antiquitate delirii trementis dissentiunt auctores: alii morbum veterioribus bene notum, sed minus accurate descriptum, alii recentiori demum tempore exortum observatumque esse, asserunt. Qui priorem profitentur sententiam, maniam potatorum et phrenesiam potatorum, de qua vetustioris mediique aevi scriptores disseruerunt, non alium esse morbum dicunt, ac delirium tremens; qui vero alteram amplectuntur opinionem, modo symptomata generalia et externa utriusque morbi conspirare, specialia autem eademque essentialia, longe inter se discrepare, contendunt. Quidquid demum sit, non plane abhorret a vero, causas delirii trementis olim existitisse ideoque morbum ipsum quandoque viguisse, sed a similibus maniae et phrenesiae for-



mis non rite esse distinctum. Non tantum enim in vetustissimorum medicorum, ut *Hippocratis*, *Galenii* aliorumque scriptis relatum legimus, phrenesiam potatoribus praesertim esse inimicam, verum etiam maxime perniciosam, si cum manuum tremoribus sit conjuncta. Quamvis nomen exigui sit momenti, iis tamen adversari oportet, qui phrenesiam potatorum appellant nostrum morbum, quum phrenesiae vox inflammatorii aliquid vel in cerebro vel in tunicis ejus significet, quod mehercle non subest. Si quis vero delirium potatorum, aut maniam potatorum dicere velit, me nihil repugnaturum ingenue confiteor. Multi quoque recentiorum medicorum delirium tremens propriam phrenesiae speciem sistere putarunt, donec Angli, inprimis *Sutton*, quem secuti sunt Germani *Heineken* et *Albers*, hunc morbum non amplius phrenesiae equiparandum, sed peculiari nomine impertiendum censerent. Celeberrimi viri *A. v. Haller*, *Horn* Suecus, *J. Frank*, *Brühl-Cramer*, *Trotter* et alii, delirii tremens symptomata quidem plura enumeraverunt, sed ad phrenesiam ea referre haud dubitarunt. *Lind*, medicus Hafniensis, optime quidem de delirio tremente exposuit, verumtamen minus accurate in determinanda ejus causa proxima versatus est. Tametsi igitur persuasum habeo, delirium tremens anti-



quiori aetate interdum exstitisse, sed aliis cum morbis esse confusum, minime tamen negabo, huncce morbum ab eo inde tempore potissimum invaluisse et manifestiorem indolem obtinuisse, quo homines spiritibus e saccharo et oryza paratis adsuescere coepissent. His evenit, ut praesertim in diariis medicis et nosocomiorum annalibus commentationes in delirii tremantis naturam et curationemprehendantur multaeque morbi historiae apponantur.

## CAPUT SECUNDUM.

### *Delirii tremantis symptomatologia.*

Distinguere solent quidam medici stadia tria: prodromorum, consummationis, judicationis; quae internosci quidem possunt, ita tamen, ut certus eorum limes desideretur unumque in alterum paulatim transeat.

Quod primum attinet stadium, non semper adeo est manifestum, ut delirium tremens imminere suspiceris; morbus quandoque subito irruere videtur. Sin evidentius sese expromit stadium dictum, haec fere animadverti solent: aegroti cibos potusque solitos fastidire incipiunt, spirituosaeum cupiditate appetunt iisque recreatos sese sentiunt; animus morositate, corpus languore, ignavia,



vires Imbecillitate notantur; caput dolore obside-  
tur, vel universali, vel hemicrania, tempore ma-  
tutino potissimum urgente, ei non absimili, qui  
colicam potatorum comitatur. Nonnunquam fieri  
solet, ut omnes cibi saporem salsum, ventriculi  
oppressionem ardoremque excitent, imo oesophagi  
spasmos, nauseam atque vomitum moveant, quo  
materiae biliosae viridiusculae interdum eructan-  
tur. His supervenit inquietas, die noctuque urgens:  
aegri huc illuc trepidi discursant, rapiditatem  
quandam actionibus sermonibusque ostendunt  
summamque festinationem in peragendis negotiis  
aemulantur; somno haud reficiuntur, sed irrequieti  
huc illuc in lectulo jactantur, obdormiscentes ple-  
rumque ingratis ac terrificis somniis excitantur;  
pulsus parum frequentior, sed durior pleniorque  
apparet, multis tamen vicissitudinibus obnoxius.  
Corporis temperies vel paulo inferior est solito, vel  
nihil mutata, manuum volae frigentes aliquo su-  
dore madent. — Ineunte stadio secundo, plura  
accedunt symptomata characteristic, quorum prae-  
cipua sunt inquietas adaucto, metus sive anxietas,  
perversae imaginationes, artuum tremor, vigiliae,  
deliria blanda seu jocosa. Festinatio, qua aegroti  
negotia quasi arripiunt, ita augetur, ut adstantium  
summam admirationem excitet; neque certus in  
peragendis negotiis modus, neque ordo observatur,



ab uno properant aegri ad alterum, quod temere inceperunt, mox temere dimittunt, neque minus ideas verbaque commiscent. Magna enim animi anxietas timorquē superveniunt, quibus fit, ut sensa et cogitata cum aliis non communicent, sed occultare studeant, aliorum monitis offendantur, diffidant atque repugnent, raro obsequium praestent. Modo impedimenta timent, quibus detineantur a laboribus, modo phantasmata, quae terreant mentem; solliciti huc illuc circumspiciunt, nunc in uno loco defigunt oculos, nunc ubique eos vagari sinunt tantumque simul angorem produnt, ut sudore diffluant, vestibisque exutis depellere cupiant aestum. Mentis functiones plane abalienantur perversaeque apparent imagines: aegri vanas faciunt sermocinationes eademque verba iterum iterumque repetunt, quovis exterrentur strepitu, muscas aut apes oculis obvolitare, aut formicas muresve discursare, imo infestis animalibus se peti arbitrantur; interdum de visionum vanitate sibi persuadent easque irrident, nihilominus denuo iis indulgent. Videmus igitur, his quoque perversis imaginationibus animi sollicitudinem exprimi, multi enim perpetuum conqueruntur metum, ne conclavis pavementum subsidat, aut lacunar corruat; plerique tamen vereri solent, ne reprehendantur et neglectorum officiorum poenas



luant. Prout aetas, constitutio ac temperamentum discrepant, haec symptomata vel majorem vel minorem atrocitatem ostendunt. Memoratu dignum quoque est, aegrotos plerumque in iis versari negotiis, quibus fuerunt addicti atque assueti. Deliria, quibus aegri agitantur, rarius sunt furiosa, plerumque blanda et, uti supra memoravi, jocosa, ita ut mens hilaritati summae, imo adeo rebus scurrilibus indulgere videatur. Ista hilaritas omnium curarum atque dolorum aufert memoriam: rident enim aegroti, cuncta confundunt, modo domi se opinantur, modo captivos domiciliisque alienis inclusos; interdum, si inopinanter eos alloquaris, tanquam perterriti stupent, mentem recipiunt sanaeque respondent, sin discesseris, in priscam recidunt insaniam. Considerandum nunc venit symptoma gravissimum maximeque diagnosticum: tremor artuum, imprimis superiorum, qui haud raro sub finem stadii primi jam apparet paulatimque magis confirmatur, et ad morbi judicationem persistit, imo nonnunquam remanet, delirio jam sublato. Quanquam hunc tremorem vulgo mitiorem esse, nonnulli contendunt, tamen observationes multae nobis persuadent, manus quandoque adeo convelli, ut nihil iis contineri queant, reliqua etiam membra velut horrore febrili percelli, linguam ex ore protendi, faciei musculos tremiscere tendinesque cuti



subjectos subsilire. Neque solum tremores manuum irregulares adsunt, sed aegroti etiam per certas directiones brachia movere solent, tanquam captaturi sint aliquid. Quis est, qui non intelligat, summam intercedere similitudinem inter hos tremores atque illos, quibus potores matutino tempore afficiuntur, antequam hauserunt spirituosa. Agrypnia etiam pathognomonicis hujus stadii symptomatibus interponenda est: aegroti rarissime appetunt somnum, sin dormire videantur, apertis recumbunt rigidisque oculis, vestimenta aut stragula carpunt, murmura edunt, saepe expavescunt, quoniam phantasmata mentem terrent. Haec omnia sine eximia virium prostratione, etiamsi remedia debilitantia simul administrentur, aliquamdiu possunt protrahi. Facile ergo haec deliria distinguuntur ab iis, quae typhum atque encephalitidem comitantur, quippe quibus corporis vires celerrime consumuntur; delirio trementi laborantibus post plures demum dies aliqua virium diminutio supervenit, minime autem tanta, quae symptomatum vehementiae respondeat; exantlato etiam morbo exigua tantum imbecillitas superest eademque brevi tempore cedit. Nihilosecius vigiliae continuae, si morbus in longius protrahitur, mali ominis esse solent, quum fieri nequeat, quin cerebri nervorumque actiones, nullo refectae otio,



tandem exhaustantur. Sunt etiam, qui sudorem pathognomonicis hujus stadii symptomatibus accenseant; recte quidem: sicut enim primo in stadio volae manuum, quanquam frigentes, humescunt, ita in altero stadio plures partes sudore perfunduntur, qui ex parte saltem originem debere videtur ingenti sollicitudini, qua torquentur aegroti. Non semper totum corpus occupat, sed interdum hanc illamve partem, prae ceteris pectus; plerumque sat largus est, quandoque frigidus, odoris foetidi, aut acidi, indolis viscidae; quemadmodum morbi judicationem haud indicat, ita periculum minitari non solet, nisi sit nimis profusus viriumque inanitionem inducat. — Ista quidem symptomata sunt essentialia seu pathognomonica, restant nonnulla plus minusve mutabilia eamque ob causam accidentalialia magis, quam necessaria. Pulsus utplurimum frequentissimus, ut intra horae minutum viginti et centum ictus, et quod excurrit, numerare possis, ceteroquin autem diversa corporis ratione variabilis est: corpora enim imbecilla ac sensibilia parvum, durum et suppressum, firmiora autem magnum, plenum fortemque offerunt. Artuum tremor et tendinum subsultus non raro impediunt, quominus exploretur pulsus, quamobrem nonnulli febrem, quae plerumque vascularis est, saepe abesse contendunt. Sanguinis detractiones variam



in pulsum exerunt efficaciam: modo enim subito minorem atque debiliorem, modo duriorem et pleniorē reddunt, modo nihil in illo permutant. Temperies vix a norma aberrat, cutis plerumque per totum morbi cursum modice calida sudoreque multo madida reperitur. Facies nunc pallida atque collapsa, nunc rubra ac turgida apparet; oculi imprimis circa angulos rubore inflammatorio notantur et lacrymas fundunt, minime autem splendent, sed languidi evadunt, nisi encephalitidis complicatio existat. Pupilla contracta riget lucisque patientissima est, ita ut photophobiae vestigium haud animadvertatur. Linguae superficies aut paulo humida, aut muco flavido oblimata, nonnunquam naturae consentanea; alvus plerumque adstricta, lotium diversum. Stadium tertium, seu iudicationis, praesertim alto somno insignitur, quo opprimuntur aegroti et quo excusso non solum recreatos sese sentiunt, verum etiam perfecta vigent valetudine morbi que exantlati vix reminiscuntur. Ineunte hoc somno salutifero, omnia delirii tremētis symptomata, de quibus supra expositum est, mitescunt: clauduntur palpebrae, manuum agitationes cedunt, murmura conticent, pulsus ad normam revertuntur, sudores largi minuuntur omniaque signa reficientis somni imaginem constituunt; expergefactis praeter languorem et capitis aliquam temulentiam nihil ingrati superesse solet.



**CAPUT TERTIUM.**

*Diagnosis.*

Delirium tremens primo obtuitu aliorum morborum, ut encephalitidis, maniae, typhi et vesaniarum, similitudinem referre, supra jam commonefeci, quamobrem breviter est disquirendum, quibus notis formae dictae inter se differant. Encephalitis a febris exacerbatione orditur, quae manifeste inflammatoria est summumque adipiscitur gradum, a delirio tremente autem prorsus abest. Tremor, quo delirium nostrum insignitur, in encephalite vel plane desideratur, vel totum quandoque corpus tanquam horror febrilis concutit. Deliria ipsa, nostro in morbo blanda atque jocosa, in cerebri inflammatione furibunda observantur; ubi aliter res sese habet, plerumque complicationes exstant. Encephalitis non modo pulsu summe inflammatorio, verum etiam carotidum arteriarumque temporalium pulsationibus, neque minus photophobia stipatur, quibus delirium tremens caret. Encephalitidem unicuique homini, quanquam raro senioribus, delirium tremens tantummodo iis supervenire scimus, qui spirituosus nimium indulserunt, quibus fit, ut hocce delirium magis proveciori quam adolescente aetate exoriat. Vigiliae, encephalitidem comitantes, similiaque symptomata vires aegrotorum adeo exhauriunt, ut intra tres



septemve dies aut mors, aut crisis accedat; ista crisis, quae narium haemorrhagiis, sudoribus, lotio etc. peragitur, aliena est a delirio tremente. Mania furibunda, nimirum ea, quae ebrietatem comitatur, delirium tremens interdum imitatur, sed ab hoc discernitur eo, quod absoluto paroxysmo integritas restituitur, vel delirium tremens excolitur; in reliquis maniae speciebus unum vel alterum quidem delirii trementis symptoma, nunquam vero syndrone omnium animadvertitur. Typhus etiam, si ex adpectu solo judicare velimus, delirio trementi similis apparet; si vero intuemur febrem continentem, supremam omnium virium vitalium prostrationem subito irruentem atque singularem deliriorum indolem, seu typhomaniam: vix et ne vix quidem tantum in errorem incidere licebit. Quodsi vesaniae quaedam species, ut moria, aut fatuitas, delirii trementis blande ingressi suspicionem movet, primum disquirere debemus, num sudor, coma vigil, manuum tremor et ardens spirituum cupiditas adsint? quae si forte adsunt, e morbi decursu colligenda est diagnosis; vesaniae enim signa, quanquam per intervalla desinere videntur, serius ocuis tamen recurrunt, veramque sanitatem tam brevi tempore, quam delirium tremens, non reddunt. — Scire tamen oportet, delirium tremens cum morbis, quibuscum interdum



confunditur, v. c. cum encephalide, typho, febre nervosa et mania posse consociari, quo in casu medici circumspici est, singula expendere symptomata, quae plurimum periculi minitentur, et his medelam proximam adaptare. Complicatio delirii tremantis cum vomitu chronico, faciei erysipelate, viscerum thoracis vel abdominis inflammationibus vel degenerationibus, cum haemorrhoidario morbo, phthisi et aliis vix disturbare poterit diagnosis.

### CAPUT QUARTUM.

#### *Exitus.*

Exitus triplex, quem alius quisque morbus sortiri potest, in delirium tremens quoque cadit: judicatur enim vel ad sanitatem, vel ad mortem, vel secundarios efficit morbos. — Ubi sanitas reditura est, nunquam non somnus accedit, qui minime somniis et pavoribus interceptus, sed altus, placidus satique diuturnus est et aegretos ita instaurat, ut vix morbi vestigia leviora remaneant. Hic ergo somnus crisin delirii tremantis repraesentat, aut si mavis, judicationis accedentis signum offert certissimum: etenim vigente morbo omnes cerebri functiones praeter modum sunt exaltatae, quod vigiliae, anxietas, delirium aliaque probant; systema autem gangliosum, vegetationi inprimis dicatum, maxime est oppressum, quum antagonismus quasi



inter utrumque systema, cerebrale nimirum et gangliosum, locum habeat. Somnus naturalis oriri nequit, nisi cerebri actio diminuatur eoque modo alia systemata, cum sensorio antagonismum alentia, evahantur. Constat autem, per illum antagonismum, qui intercedit systema cerebrale et gangliosum, totam corporis vegetationem vigente somno augeri, motus involuntarios, respirationem scilicet atque sanguinis circulationem, blandiores quidem et tardiores, sed aequabiliores fieri, secreta parciora, sed perfectiora et saturatiora apparere. Inducto igitur somno naturali, fieri non potest, quin judicetur delirium tremens, quia relatio normalis inter cerebrum et gangliorum systema, quae antea fuit sublata, restituitur. Quum iste somnus tantummodo delirium tremens, non complicationes ejus tollere queat, summopere enitendum est, ut omnia somni introitum impediencia antea submoveantur. — Quodsi delirium in mortem abiturum est, non modo tanta cerebri exaltatio evadit, ut efficacissima remedia somnum placidum arcescere nequeant, verum etiam vires citius solito infringuntur, aut complicationes perniciosam adsciscunt indolem; angor ineffabilis et inimicissimae visiones perpetuo terrent animum. Hisce aliquamdiu protractis, certiora signa mortem imminentem praesagiunt: nimirum exaltatio illa decrescit, de-



lirium vel desinit, vel mutatur in taciturnum, aliquo labiorum motu conspicuum; adstringuntur tempora, pallet facies et gelido offunditur sudore, reliquum corpus friget atque vel siccescit vel sudore colliquativo madet; palpebrae semiclausae, oculorum cornea turbida, pupilla amplissima apparet, os hiat, mens aboletur. Eodem tempore urina faecesque foetidissimae praeter voluntatem secedunt; omnes subsiliunt tendines, singultus, convulsiones accedunt, respiratio stertorosa evadit et paralysis universalis vitam exstinguit. Quandoque tamen apoplexia vera mortem inducit, priusquam enumerata symptomata apparent, inprimis ubi complicationes inflammatoriae indolis exstant. Quod attinet morbos secundarios, primum ignorare non oportet, delirium tremens ad reversiones maxime esse opportunum, id quod praecipue accidere solet, si vel judicatio fuit imperfecta, vel homines ad priscum vivendi genus redeunt. Delirium tremens, nullo resolutum somno, abire potest in eodem morbo, quibuscum interdum complicatur, videlicet in febrem nervosam, typhum, encephalidem, maniam; verum etiam somno critico ingresso, haud raro debilitas universa, mentis imbecillitas, tremor artuum continuus similiaque remanent et interdum procedente tempore tolluntur, interdum ad vitae usque terminum perstant.



CAPUT QUINTUM.

*Aetiologia.*

Priusquam morbi aetiologiam adgrediar, breviter scrutari me oportet, quid cadaverum incisiones obtulerint, num ea, quae inventa sunt, ad dilucidandam morbi naturam conferre possint. Paucis haec comprehendi queunt. Cerebrum modo nihil, modo humorem serosum ventriculorum, modo vasa nigro sanguine turgida, at nihil extravasati sanguinis obtulit, nisi adesset complicatio; sanguis vasis extractus magnam putrescendi opportunitatem exhibuit; neque inflammationis vestigia, neque ejus sequelae, ut meningum adhaesiones, in conspectum prodierunt. Mutationes pectoris viscerum, si quae reperiuntur, ad delirium tremens referendae non videntur, aliquanto magis autem viscerum abdominalium alienationes, praesertim hepatis, lienis et ventriculi, quippe quae partim a spirituosorum abusu per se, partim a systematis gangliosi perversa actione derivari possunt.

Ratione habita nosologiae, dirimendum est, an delirium tremens morbis inflammatoriis, utrum nervosis potius adnumerandum sit. Tam antiquiores fere omnes, quam recentiorum nonnulli, v. c. *Lind*, morbi causam proximam in affectione inflammatoria vel ipsius cerebri, vel membrana-



rum ejus collocaverunt medelamque huic opinioni consentaneam attemperarunt. In memoriam autem revocatis iis, quae de cadaverum sectionibus relata sunt, illi sententiae refragari jam debemus: minime enim humorum impetus ad caput, qui delirium tremens comitari solet, cum inflammatione debet confundi, eo minus, quum sanguinis turgescens indoles venosa, itaque inflammationi contraria, appareat. Experientia quidem edocti scimus, hominibus plethoricis validisque delirio tremens obnoxiiis sanguinem largius atque violentius ad caput congeri, nemo autem dubitabit, hocce phaenomenon a cerebri irritatione esse repetendum; congestionem vero atque inflammationem inter se talem alere necessitudinem, qualem causa habeat cum morbo. *Lind* quidem inflammationem illam vocat serosam ejusque sedem praecipue ponit in pia matre; quis autem dirimat, quonam modo inflammationis serosae indoles ab aliarum inflammationum natura distinguatur? processus inflammatorius idem est, effectus ejus, v. c. effusio sanguinis, seri etc. nec non pars, quae inflammatur, distinguere nequeunt. Qui igitur delirii tremens inflammationem defendunt, parum considerant, symptomata statum inflammatorum aemulancia, cum crethismo nervorum cerebralium facillime posse conciliari. Proinde eorum opinioni adstipul-



lor, qui morbum nostrum adnumerant neurosisibus eumque singulari debilitate nervorum, imprimis vegetationi praefectorum, cui adjungatur erethismus nervorum cerebralium, niti contendunt. Ad illustrandam hancce theoriam descendamus necesse est ad causas remotas, nimirum ad spirituosam, qualem in corpus exserant effectum. Alcohol, quo spirituosam agunt, oxygenium, carbogenium et hydrogenium continet, quorum novissimum praeprius vim spirituosorum efficacem involvit. Quodsi primitivum hydrogenii effectum consideramus, excitantem dicere debemus, sive nervos cerebrales, sive gangliosos intueamur, etenim homines assumptis spirituosis non solum hilares atque lascivi redduntur, sed omnia quoque negotia majori facilitate ac vigore peragunt, nisi nimium fecerint excessum. Cerebri autem irritatio, per consensum cum ventriculi nervis inducta, brevior et fugacior est, quapropter languor et somnolentia mox insequuntur; excitatio systematis gangliosi, praesertim plexus solaris et finitimorum plexuum validior atque diuturnior, quia partim spirituosam immediate ingeruntur in ventrem, partim plus minusve retinentur eamque ob causam diuturniorem ibi effectum praestant. Ad dilucidandam delirii tremantis pathogeniam non opus esse existimo, ut confugiamus ad alterum hydrogenii effectum, i. e. ad sanguinis



desoxydationem, quippe primarius, nimirum excitatio praeternaturalis, me iudice jam sufficit. Etenim continuato spirituum abusu nervorum abdominalium hypersthenia inducitur, quae aliquamdiu sustentata, in astheniam, seu debilitatem indirectam, vertitur, qua fit, ut totum nutritionis et reproductionis opus labefactetur. Proinde hic secundarius spirituosorum effectus, nimirum debilitas nervorum vegetationi praepositorum, delirii tremantis notionem sistit, primarius autem effectus, nempe irritatio, causam continet. Systemate nervorum gangliosorum jamjam exhausto, cerebrum ejusque nervi adhuc irritationi sunt obnoxii et per antagonismum quasi suscipiunt actiones abnormes, solito more majores eundemque erethismum exhibentes, quem antea subierunt nervi gangliosi. Hic igitur fons delirii, hic focus imaginationum perversarum totiusque aegritudinis, quae sensorium tenet. Facile est intellectu, hoc erethismo sanguinis congestiones ad caput posteaque maniam, apoplexiam, vel consumtis cerebri viribus, paralysin universam excitari.

Abusum spirituosorum, imprimis spiritus sacchari et oryzae, delirium tremens inducere, vix opus est, ut repetamus; utrum vinum quoque morbum excitare valeat, nec ne, adhuc disceptatur; plures recentiorum negant, nonnulli affirmant.



Quodsi alcohol, ut supra diximus, illud est principium, quo effectus deleterii proferuntur, non plane dubitare licet, vini abusum excitare posse delirium tremens, at multo rarius, quam alia spirituosam, quum vinum tonicis simul effectus in nervorum systema exserat. Praedispositionem ad delirium tremens, si qua exstat, in majori nervorum, praesertim gangliosorum, sensibilitate collocandam existimo, nam quo major propensio ad erethismum, eo facilius celeriusque spirituosorum abusus producat necesse est effectus damniferos, quorum syndrome delirii tremens notionem constituit. Vitae genus et clima tantum eatenus in morbi originem influere possunt, quatenus ad uberiores spirituum usum homines invitant; probabile autem videtur, animi pathemata crebra momentis disponentibus esse adnumeranda, quippe quae nervos ad erethismum opportuniores reddunt paulatimque exhauriunt. Quandoque delirium tremens symptomaticum supervenire traditur hominibus, ab omni spirituosorum usu abstinentibus, sed vel animi pathemate, vel morbo quodam oppressis, ut scarlatina, variolis, morbillis. Priori in casu esse videtur paroxysmus, ingente animi affectione concitatus, in posteriori autem affectio nervosa, vel imminente exanthematis eruptione, vel singulari morbi primarii mutatione inducta.



CAPUT SEXTUM.

*Prognosis.*

Plerique antiquorum medicorum delirium potatorum funestissimum existimaverunt; recte quidem, quia medendi ratio, perversis superstructa principiis, parum emolumenti praestitit. At quam recentioribus aliquanto clarius lumen de morbi natura affulsit ideoque medela aptior stabiliri potuit, nullam tamen dubitationem admittit, praesagium in genere ambiguum esse pronuntiandum. Communis scilicet morborum nervosorum, maxime eorum, qui diuturna fereque habituali nervorum labe nituntur, ratio est, ut partim difficillime tollantur, partim facillime fiant recidivi, aut alia relinquunt vitia, intimam vitam adgredientia. Experientia quoque docet, miseros illos, qui in consuetudinem adduxerint usum spirituosorum, si delirio tremente sint liberati, nec sibi temperare, nec, si velint, sine omni incommodo sibi temperare posse, quum natura ut plurimum ea, quibus adsuevit, importune flagitare soleat. Quodsi singula, ad praedictionem aut meliorem aut pejorem spectantia, metimur, haec fere notanda veniunt. Constitutio corporis neque nimis robusta, neque infirma eventum pollicetur faustum, quippe quae nec celerius exhauritur, neque per encephala



litidem aut apoplexiam sanguineam periculum minuitur; provecior aetas peior est juniore; quo recentior morbus quoque magis a complicationibus alienus, eo promptius sanatur; boni ominis etiam pulsus est regularis, modice frequens, mali autem frequentissimus minimusque. Quo citius accedit somnus, aut naturae vi aut medicamentis inductus, quo propius abest a naturali et placido, eo major recuperandae salutis spes affulget. Evacuationes naturales somnum excipientes, ut sudor tepidus et modicus, urina, faeces pultaceae haud foetidae, exitum prosperum, sudores autem profusi, frigidiusculi, excretiones invitae, malignum nuntiant. Dictae excretiones, ante somnum apparentes, nisi sint immodicae, haud quidem crisin ipsam perficiunt, verum tamen antesignani imminentis somni esse solent. Mala sunt: lingua arida, conjunctiva alterutrius oculi multo sanguine suffusa et materiae puriformis profluvium ex oculis; bona ut plurimum epistaxis, nominatim juvenibus superveniens, plethora laborantibus. Ambigua plerumque prognosis redditur complicationibus cujusque generis, quippe quae delirii tremantis curationem simplicem vel differri, vel plane mutari jubent, vel citius vires corporis consumunt, quam crisis salutaris possit obtineri.



**CAPUT SEPTIMUM.**

*Medela.*

Priusquam natura et causa proxima delirii tremētis accuratius innotuit, medela certis indicationibus superstrui nequivit, sed empirica magis et symptomatica fuit, utpote cui morbo antiphlogistica tantum respondere putabantur. Quodsi autem vera sunt, quae supra retuli, sequentes medendi indicationes proponendae videntur:

- I. Causae remotae et complicationes tollantur;
- II. Somnus aegrotis quolibet modo concilietur;
- III. Digestionis et assimilationis instrumenta instaurentur;
- IV. Morbi reversiones caveantur.

Proximum ergo est, ut omnes injuriae, quae morbum augere, vel sustentare possint, ut spirituosorum abusus, animi pathemata, refrigerium etc. studiosissime arceantur; complicationes autem varium curandi modum expostulant: encephalitis, pneumonia aliaeque inflammationes graviore praeter sanguinis detractiones usum calomelanos, cui adjunctum sit opium, efflagitant; typhus nervina initio leviora, opio conjuncta, ut valerianam, arnicam, serpentariam, nec non chinam, aut si delirium procreavit typhum, excitantia fortiora, ut moschum; extrinsecus fomenta capitis frigida con-



veniunt. Simili ratione unaquaeque complicatio sua exposcit remedia, quae ita semper administranda sunt, ut cum corporis indole atque delirii tremementis curatione exacte conspirent. Secundae ac tertiae indicationi simul satisfaciamus, si somnum aegris conciliamus, quippe qui in diminuta functionum animalium, imprimis sensiferarum vita, aucta vero naturalium functionum energia consistit; quodsi igitur organorum vegetationis functiones intenduntur, cerebri actiones deprimuntur; sin hae directe minuuntur, illae etiam augentur et utroque in casu somnus arcessitur, quamobrem simul utendum est remediis, quae et cerebrum sopiant et systematis gangliosi, imprimis plexuum abdominalium, actiones incitent. Inter medicamina tubum intestinalem exeitantia ideoque nervos vegetationi praepositos vivificantia, certissime emetica et purgantia drastica primo loco ponenda sunt, quippe quae id simul efficiunt, ut saburrae gastricae, si adsint, evacuentur; vomitoriorum ipecacuanha, drasticorum aloe et calomelas principatum tenere videntur, eademque sola interdum sufficiunt, ut incitentur vegetationis organa somnusque inducatur. Dispiciendum tamen est, num virium imbecillitas hancce methodum admittat; vigente enim debilitate, aut dictis remediis frustra administratis, confugiendum est ad alia, quae tu-



bum intestinalem incitando simul roborent pariter-  
que sensorii morbosas actiones per antagonismum  
demulceant. Nervina, aromatica et amara huic  
scopo respondent, ut radix columbo, cortex chinae,  
aurantiorum, cinnamomi, in forma decocti, aut  
infusi, vel tincturae. Ne autem, constitutione  
corporis robusta et plethorica, sanguinis congestio-  
nes ad caput efficiantur, laxantia mitiora interpo-  
nere ut plurimum convenit. His quoque irritis,  
auxilium petendum est a narcoticis, quorum  
omnium praestantissimum merito habetur opium,  
nam qui hoc remedium inutile, imo periculosum  
experti sunt, haud dubie contraindicationes non  
pensitarunt, vel doses ejus majores incauta manu  
adhibuerunt. Notare scilicet oportet, opium junio-  
ribus, validioribus plethoricisque nunquam con-  
gruere, nisi sanguinis detractiones tam universales,  
quam locales ventrisque evacuationes sint prae-  
missae, aut complicationes sublatae, aut saburrae  
gastricae expulsae. His autem provisus, opium  
sine metu liberalius est exhibendum, ita ut vel sin-  
gulis vel alternis horis granum unum aut duo pro-  
pinentur; observationes enim docent, has opii  
doses per longum saepe tempus sine ullo detrimento  
sustineri. Ubi somnus accessit, ab opio abstinен-  
dum, sin narcoseos symptomata apparent, enemata,  
fomenta capitis frigida, imo repetitae sanguinis



missiones requiruntur. Alvi obstructio pertinax, opii usu inducta, quae rarius tamen in delirio tremente oritur, nec nimium nocet, enematibus oleosis blandisque laxantibus est solvenda. Externis salutaribus etiam superfusiones frigidae adnumerandae sunt, quae ab Anglis immerito repudiantur; scimus enim harum superfusionum usum tam promptum praestare auxilium, ut aegroti, morbosa sensorii exaltatione correpti, protinus mentem recipiant; omittendae tantum videntur et fomenta frigida in locum earum substituenda, ubi encephalitis complicatio exstat; maxime vero sunt commendandae in eo delirii tremantis stadio, quo murmura labiorum, torpor similiaque in conspectum prodeunt. — Ultimae indicationi praeter tonica remedia caute adhibita inprimis diaeta et regimen aptum conveniunt: alimenta sint eupeptica, initio leviter nutrientia, paulatim valentiora; corpus sub dio frequentius exerceatur, animus exhilaretur; a spirituum usu aegroti non subito, sed sensim arceantur, siquidem inveterata consuetudo non una vice potest eradicari; ceteroquin in exemplis est, homines, meliori victui pedetentim assuefactos, ad vitae usque finem a spirituosius abstinuisse.

---



## Judex librorum,


quos ad conscribendam dissertationem evolvi.

- Hippocrates* Lib. de morbis popularibus; nec non Prae-  
notionum sect. I.
- Gerh. van Swieten* Comment. in Boerhaav. aphor. cap.  
de phrenitide.
- Max. Stoll* Ratio medend. pars III. pag. 185.
- Ph. S. Horn* Abhandl. von d. Trunksucht. Stralsund,  
Greifswald u. Leipzig 1747.
- Jos. Frank* Praxeos medic. univers. praecepta. Pars II.  
Vol. I. sect. 1. cap. 3.
- Th. Trotter* die Trunkenheit u. deren Einfluss auf den  
menschl. Körper etc. übers. v. *Hoffbauer*. Lemgo  
1821.
- Th. Sutton* Abhandl. über delirium tremens, a. d. Engl.  
v. *Heinecken*. Bremen 1820.
- v. Brühl-Cramer* über Trunksucht u. eine rationelle  
Heilmethode derselben. Berlin 1819.
- Journal d. pract. Heilkunde von *Hufeland*. 1822. Nov.  
u. Dec.
- J. G. Lind* de delirio tremente sic dicto. Hafniae 1822.
- Günther* Delirium tremens in Verbindung mit Scharlach.  
Köln 1820.
- v. Köhring* Dissert. de delirio tremente. Berol. 1826.
- F. A. Ebel* Dissert. de spirituosorum, imprimis immodice  
haustorum, effectu. Berol. 1826.
-





















## CAPUT QUINTUM

### *Aetiologia.*

Priusquam morbi aetiologiam adgrediar, breviter scrutari me oportet, quid cadaverum incisiones obtulerint, num ea, quae inventa sunt, ad elucidandam morbi naturam conferre possint. Paucis haec comprehendi queunt. Cerebrum modo nihil, modo humorem serosum ventriculorum, modo vasa nigro sanguine turgida, at nihil extravasati sanguinis obtulit, nisi adesset complicatio; sanguis vasis extractus, magnam putrescendi opportunitatem exhibuit; neque inflammationis vestigia, neque ejus sequelae, ut meningum adhaesiones, in conspectum prodierunt. Mutationes pectoris viscerum, si quae reperiuntur, ad delirium tremens referendae non videntur, aliquanto magis autem viscerum abdominalium alienationes, praesertim hepatis, lienis et ventriculi, quippe quae partim a spirituosorum abusu per se, partim a systematis gangliosi perversa actione derivari possunt.

Ratione habita nosologiae, dirimendum est, an delirium tremens morbis inflammatoriis, utrum nervosis potius adnumerandum sit. Tam antiquiores fere omnes, quam recentiorum nonnulli, v. c. *Lind*, morbi causam proximam in affectione inflammatoria vel ipsius cerebri, vel membrana-

